



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.D.LXXXVIII. Sancti Patris Benedicti. M.C.VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

na constantiam carceribus emancipatus, pro eximia magnanimitate, etiam in hac mortali vita singulari à Numine gratia & beneficio honoratur, quippe Monachis Angliæ omnibus sive à Regno profligatis, sive per varios cruciatus interemptis, cum unus ipse superstes esset, accedente DEO Hispanorum atque Italorum Monachorum nostri Ordinis animos, quibus de captivitate generosissimi hujus senis constabat, in ejus licet nomen, pro reverentia tamen. Ecclesiæ Anglicanæ à nostris olim primitus plantatæ, & mille pene annis feliciter administratæ, jurare, & NOVA quædam CONGREGATIONE instituta, eundem Buclæum sibi præfectum, sive potius tanquam exemplar Generosissimæ Constantiæ propositum & Præpositum voluere; ut paulo post ingenti spe fructus, imo uberrima prosperante cæpta Numine, cum messe, Illustrissima illa & meritissima CONGREGATIO BENEDICTINORUM Anglicana, pro populi ejusdem ad Ecclesiam Catholicam reductione, consurgeret & mirè Martyrum nostrorum impinguita & Benedicta sanguine effloresceret. De qua, deinceps, Pontificia auctoritate solemniter approbata & fructu ejusdem suo loco. *Ex Apost. Bened. Clementis Reimeri, &c.*

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.LXXXVIII.
Sancti Patris Benedicti. M.C.VIII.

Miraculum hominis Angeli sinu nunc fovet suo Hispania & sanctissima nostri Ordinis Congregatio Montserratensis. Illud fuit sanctæ memoriæ Vir P. F. Sebastianus de Villoslada S. Martini Vallisoleti Abbas, Præsul summa cum nominis reverentia, æternum celebrandus. Natus fuit apud Villosladam Ducatus Naxeriæ in veteri Castello celebrū locum, Patre Petro de Naxero, Matre Joanna Lopez, æternum familiæ decus, parentum gloria, Numini à teneris addictus unguiculis, pietati & devotioni corculum suum puerulus dedit, in litterarum etiam dein studijs eos progressus fecit, ut eruditionis laude celeberrimus evaderet. Alcalæ litteris etiam annuum cum operam navaret ortum cum condiscipulo rixa, visum rem Monomachia dirimere. Adfuitque præ-

stiturâ certamini horâ Sebastianus: cumque horas quatuor. adversarium expectasset, nec quidem; ad se pia reverfus cogitatione, tamquam immanis pœnitens sceleris, statim de ejurando sæculo propositum concepit; idque quamprimum opere exequutus, in Monasterio Sanctæ MARIÆ Vallis Venariæ cucullum & Regulam S. P. N. BENEDICTI complexus, tanto fervore rigori monachico Virtutumque studijs operam dedit, ut perfectissimus paulo post, & sanctissimus haberetur; & mirabilis omnibus appareret. Fuit sanctissimæ Regulae & Constitutionum, Congregationis & Monasterij longè observantissimus, cum apprimè adverteret, quanti Religiosorum interesset, minima quævis tam Sancti Instituti maximi facere, quantumque damnum Monachi sit & Canobiorum, levia credere & non maximi faciendâ, quæ nemo non nosset Spiritus sancti dictata esse. Ceterum supra Regulam & consuetudines loci, abstinentiæ deditissimus studio, carnis esu perpetuo sibi interdixit, cilicioque & catena ferrea carnem maceravit, multis annis, ter in hebdomade solis pane & aqua vixit. Orationis & contemplationis sublimitate totum se cœlo immerfit; quibus intentus aliquando, Festo Ascensionis Dominicæ, raptus in extasim, tanti splendoris radios ex ore effudit, ut instar Moylis: nemo in faciem ejus posset intueri. Summa observantia Matrem Admirabilem Virginum Virginæ Cœli Imperatricem coluit, interque cultores ejusdem ex Ordine præcipuos numerari meruit, ejus procul dubio intercessione meritis, ut obscurissimo hoc sæculo, tantopere gratia Numinis illustratus, tantæ sanctitatis facem orbi præferret. Humilitati inprimis studuit, minimusque omnium & videri & esse contendit, multasque Ecclesiasticas dignitates, memorabili hujus temporis exemplo, Abbatiam S. Petri de Montibus, Abbatiam S. Martini Regalis Madriti, Pontificatum amplissimum Palentinum, aliosque honores constantissimè rejecit. Vir omnino talis tantusque, qui merito intuentes omnes in admirationem raperet, sui autem Ordinis Religiosos ipsa gratiositate virtutum cogeret, quasi ad

Fuit Monachus.

Abstinentia.

Radij celestis.

Asseratur Episcopatus Palentinum.

Congregatio Ord. Angliæ.

Sebastianus de Villoslada Præsul.

imitationem, uti etiam exemplum ejusdem potentissimum apud suos, ipso effectu mirabiliter comprobavit. Ex Vita ejusdem & Monim. Montferr.

Hoc ipso tempore in Galliarum etiam Regno non minus quam Hispanico admirabile sese lumen prodidit, celeberrimus nimirum ille, & meritissimus de omni Universi posteritate Gilbertus Genebrardus noster, Monachus Mansarenfis, & exin Beatae MARIÆ Virginis Semurienfis Prior, Vir, si quis ullus alius, fama incomparabili Nominis etiam in terris immortalis, qui orbem radijs illuminatissimi capitis & pectoris implens omnes longè lateque mortales in sui convertit admirationem. Is præceptoribus olim usus, in Græcis Turnebo, in Philosophicis Carpentario, in Theologicis Sanctæo, in singulare demum ipse Ecclesiæ & Orbis Christiani ornamentum adolevit. De eo sic Scævola Sammarthanus: *Arvernia bonis ingenij fecunda, cujus è gremio prodire rogati Ordinis tot illustres viri, hunc etiam edidit sacrati Ordinis eruditum virum, qui sanctæ lingue Regiis apud Parisios interpretis, Hebraica antiquitatis arcana plurima, & ea maxime quæ ad rationes temporum subducendas pertinent, adhibito perspicacis ingenij lumine, perquisivit, ac in lucem protulit. Hoc enim ex fonte ortum est Chronologicum illud opus, & alij qui nunc sunt in manibus hominum similis industrie factus, maximis ab eo vigilijs & laboribus elucubrati. Multa ille ex Hebreis & Græcis acurate transtulit, multa recognovit, multa commentatus est. Novissime Musarum penetrantia ingressus, amatorum Salomonis Latine tentavit poema, molle illud quidem & tenerum, sed pium, quo Servatoris purissimos in Ecclesiam suam amores sapientissimi homines tradidere, nec enim ab instituta versione deterruit, quod alij summæ doctrinæ viri, & hujus ætatis facile principes Poëta lepores omnes & grattas in eodem carmine transferendo felicissime jam impendissent. &c. Lucubratorum, quarum ad nos pervenit notitia, syllabum attextimus.*

Gilbertus Genebrardus.

Miraculum viri eruditi.

Eius ingenij monumenta.

- De Sanctissima Trinitate. Libri 3.
- Contra Jacobum Schogium, Ante-Trinitarium. Liber 1.
- Contra Lambertum Danæum Sabellianismo infectum. Liber 1.
- Contra Rabbi Josephum Albonem & Rab-

- bi Davidem. Libri 2.
- Psalmi Davidis primo & genuino sensui redditi. Liber 1.
- Psalmi Davidis cum fusiorebus Commentarijs.
- Canticum Canticorum Salomonis contra Bezam. Liber 1.
- Joel Prophetia cum Annotationibus. Lib. 1.
- Tabella sumaria cum Annotationibus. Lib. 1.
- Chronologia sacra. Liber 1.
- Chronographia Universalis. Libri 4.
- Notarum Chronicarum. Liber 1.
- De Sibyllis & Sibyllarum prænunciationibus. Liber 1.
- Flavij Josephi opera ex Græco sermone in Gallicum versa.
- Opuscula aliquot contra Politicos nostri temporis.
- Opuscula multa è Græco sermone translata.
- Origenis Adamantij Opera notis illustrata.
- Isazoge ad legenda Hebræorum Orientalium sine punctis scripta.
- Et plurima alia Hebræico-Latina.

Ejusdem ingenij monumenta.

Sed de Genebrardo plura suo loco: nunc ad alia transeamus.

Floret eodem tempore in Italia Jacobus de Graffijs Nobilis Capuanus, in Cænobio celeberrimo S. Severini Neapolitano Monachus, professus, Utriusque Juris Doctor subtilissimus, cujus inter alia Opera Theologica plura celebrantur. è quibus non uno sed pluribus locis typo editi sunt Libri quatuor; Decisionum Aurearum Casuum Conscientiæ, qui passim extant.

Jacobus de Graffijs Mon.

In Monasterio S. Joannis Evangelistæ Parmensi hoc ipso anno fuit solemnite translatus corpus S. Joannis primi ejusdem loci Abbatis quocumque aliorum item ejus loci sanctorum Translatio facta est, octavo Iduum Maij. Ex Menologio nostro, & Arn. Duac.

Translatio S. Joen Abb.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. LXXXIX. Sancti Patris Benedicti. M. C. IX.

Iterum novum Ordinis in Hispania Sydus, magno fulgore emicat, magno Benedictinæ juventutis solatio, exemplo & incitamento, Beatae memoriæ Martinus Vallis Ecclesiarum Candidatus Tyro Novitius, qui ut primum sacrae Religioni in sanctissima Reformatione Cisterciensi nomen dedit, totius perfectionis exemplar se omnibus exhibuit. In juvenili siquidem ætate, juvenilem exutus penitus levitatem, accinxit fortitudine lumbos su-

Martinus Novitius Vall. Ital.